destitueremur, planè etiam ab ipsis destituendi
essemus naturæ corporumque viribus. Nihil igitur
potius laudandum, laudibusque summis magis cele-
brandum nihil invenio, nihil video, nihil cen-
seo, quam quod Deus Ter. Opt. Max. Homini con-
donari dignatus est, quod tantum est, ut non imme-
ritò illo privati, media ex parte nos hominis
naturâ privatos ingemiscamus, atque condoleamus.
Insuper etiam quanto maior est auctoritas donantis
tanto donum oportet sit gratius, et quanto do-
num ipsum collatum maius, atque utilius, tanto etiam
acceptius, et laudabilius esse debet. Verum, ut
directiori tramite orationis nostræ cursum prosequar,
accuratius, brevius tamen soni dignitatem inspicere
libet. Et sicut quaelibet res ab origine, et origi-
nis nobilitate sibi laudis, honorisque encomion
sumit, ita soni originem, quam primùm, et vel maximè
considerandam, atque laudandam esse censeo. Qui talis
tantusque est, ut nusquam sufficienter, abundeque nusquam lau-
dari, ac celebrari possit. Vidit enim Deus, de
quo sonus originem ducit, habetque, omne quod creaverat